FOLIUM SIBYLLAE.

Quum nuper Procopii bellum Gothicum legerem incidi in locum tam mirifice et iculariter corruptum, ut me nihil umquam istiusmodi meminerim videre. Narrat Procopius I. 7. (pag. 33 editionis Dindorfii in Corp. script. Hist. Byzant.) sub initium belli quum ad Salonas atrocissime esset pugnatum in eo proelio occubuisse Mauricium, Mundi, Romanorum Ducis, filium et brevi post patrem ardentem ira ob filii necem quum stragem hostium ingentem edidisset telo ictum occubuisse et ipsum. Deinde ita pergit: *τότε Ῥωμαῖοι ἀνεμνήσθησαν τοῦ Σιβύλλης ἔπους, ὅπερ ᾀδόμενον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ τέρας αὐτοῖς ἔδοξεν εἶναι. ἔλεγε γὰρ τὸ λόγιον ἐκεῖνο, ὡς ἡνίκα ἂν Ἀφρικὴ ἔχηται ὁ κόσμος σὺν τῷ γόνῳ ὀλεῖται. τὸ μέντοι χρηστήριον οὐ τοῦτο ἐδήλου ἀλλ' ὑπειπὸν, ὅτι δὴ αὖθις ὑπὸ Ῥωμαίοις Λιβύη ἔσται καὶ τοῦτο ἐπεῖπεν, ὅτι τότε ξὺν τῷ παιδὶ ἀπολεῖται Μοῦνδος. λέγει γὰρ ὧδε·*

ἀερίσας ἄρτα * * * * * * * * * * *τζεριστασι.*

omisi litteras decem medias, quarum formas Dindorfius ex codd. descriptas utcumque expressit, ego figuras litterarum typis referre non possum, sed quae sint illae litterae mox dicam. Videamus an illud Sibyllinum aenigma solvere possimus. Quid, quaeso, est *ἀερίσας ἄρτα?* Utere antiqua Codicum scriptura et videbis. AEPICACAPTA dedit Graecus scriba Graeca verba esse ratus, sed non sunt haec Graeca verba. Quid igitur? Nempe AFRICA CAPTA, optime Latine, ut equidem opinor, namque quod olim cantabatur a Romanis oraculum verbis Latinis fuisse conceptum non miraberis. Inspice mihi ad hanc lucem decem litterarum figuras a Dindorfio rudi artificio depictas. Continuo agnosces esse: MUDUSCUMNA id est MUNDUS CUM NA-, nam lineola in MUDUS scribas fefellit oscitantes. Quod superest quamquam pessime depravatum diu reluctari non potest: est enim natum ex TOPERIBIT. Itaque haec est ipsa Procopii manus: *λέγει γὰρ ὧδε·*

AFRICA CAPTA MUNDUS CUM NATO PERIBIT.

quibus statim haec subiungit: *ἐπεὶ δὲ κόσμος τῇ Λατίνων φωνῇ ὁ Μοῦνδος δύναται, ᾤοντο ἀμφὶ τῷ κόσμῳ τὸ λόγιον εἶναι.*

Res certa et manifesta est.

C. G. C.